



Universitätsbibliothek Paderborn

**Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator
communiter resurget ad justitiam.**

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

Vtrum attenta & devota recitatio oratiunculae continentis actum
contritionis, reddat Confessarium & paenitentem sufficienter certum de
contritione ut detur absolutio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

niteni, promittit securitatem; unde & sequitur:
CONFUSI SUNT QUA ABOMINATIO-
NEM FECERUNT: id est, confusi sunt non
pœnitendo sed pœnas luendo.

C A P U T VI.

*Vtrum attenta & devota recitatio oratiunculae
 continentis actum contritionis, reddat Con-
 fessarium & pœnitentem sufficienter certum
 de contritione ut detur absolutio?*

NUm. 252. reprehenditur Ma-
 nudentio quod S. Gregorii do-
 ctrinæ insistens dicat: dece-
 ptioni locum esse posse, dum quis se ve-
 rè contritum judicat, eò quod oratio-
 nem contritionis formulam continentem
 attentè vivaciterque perlegerit. Vivaci-
 ter intelligit, dum quis vivaci animi mo-
 tu ad ea quæ dicit eorumque significa-
 tum sese reflectit. Hinc sese nonnullos
 fallere afferit, qui quod in intellectu est,
 habere se quoque putant in affectu.

Omitto contradictionem quam h̄ic
 iterum videt Appendix, cum alio sensu
 vivaciter legere, velit esse cum affectu
 legere. Quamvis nec sic foret contradic-
 tio, non enim omnis affectus est con-

E tritionis

66 C O N V E R S I O

tritionis affectus , quisquis proindè vivaciter , hoc est cum affectu , sed alio quām contritionis , ejusmodi contritionis formulam legerit , habet contritionem in intellectu & non in voluntate . Sed pergit Appendix :

Quandoquidem pœnitentes communiter hanc orationem legant cum intentione seu voluntate eliciendi actum contritionis , quomodo dici potest hic deesse voluntatem ?

§. I.

Non omnes , qui formulas contritionem significantes , cum desiderio contritionis legunt , idcirco habent contritionem .

Quid igitur ? an nunquam hīc deesse potest voluntas ? si dixerit posse , rectē dixit Manuductio in ista ejusmodi formulæ recitatione , voluntatis defectu posse errorem subesse , ac per hoc inaniter se ei opponit Appendix . Sin autem posse neget , multipliciter redarguitur . Ut enim alia omittam , an non deest multis hæreticis , qui intentione seu voluntate eliciendi actum contritionis suas formulas legunt , Deoque confitentur , cum tamen in sua hæresi maneant pertinaces ? an non deest multis Catholicis qui